

† NECROLOGIA

Eximus ac Revnus Patritius Iosephus Clune
Archiepiscopus Perthensis (1864-1935)

(Prov. Hibern.)



Diebus 26-28 Maii 1935 Perthinium (*Perth*), Occidentalis Australiae caput, vidit manifestaciones affectus plane singularis, quo integra civitas primum sunm Archiepiscopum catholicum, ante biduum vita defunctum, prosequebatur. Namque cum Dominica 26 Maii corpus mortuum a nosocomio S. Ioannis a Deo ad ecclesiam cathedralem veheretur, etiam imbræ fortissimi impedire non poterant, quominus densa populi multitudo, diu in viis stans, emortuo Praesuli venerationis tributum solveret, et postquam cadaver in templi sanctuario positum est, innumeri cives eo confluabant usque ad medium noctem. Fer. II circa 4 000 parvolorum adstiterunt primæ sollemni Missæ de Requie, inter quam Archiepiscopus Adelaidensis Dr. Killian verba fecit, ac

postea diei praecedentis concursus renovabatur. Tandem fer. III, praesentibus magistratibus ecclesiasticis ac civilibus atque ingenti multitudine, Missa exequialis cantata, laudes defuncti ab Exmo Antistite Adelaidensi

pronuntiatae, tandem corpus per vias urbis hominibus et catholicis et aca-
tholicis stipatas ad coemeterium deductum atque in Redemptoristarum
sepulchro conditum.

Patritius Iosephus Clune natus est festo Epiphaniae in Hiberniae pago Aughrim, comitatus Clare, dioecesis Laoniensis (*Killaloe*), quintus ex filiis undecim. Fratrum eius unus factus est Passionista et adhuc in Australia vivit; duae sorores pariter Institutitis religiosis nomen dederunt.

Patritius inde a prima aetatula, quantum recordari poterat, desiderio sacerdotii tenebatur; quare parentes a. 1876 eum, iam scholae publicae Ruan per aliquod tempus adscriptum, ad dioecesanum Seminarium *Saint Flannan's, Ennis* miserunt. Ibi iam a. 1880, sedecim annos natus, paratus erat Episcopum Maitlandensem, suae dioecesi novos sacerdotii candidatos quaerentem, in longinquam Australiam sequi, sed a collegii rectore retentus est. Tamen anno insequenti non ad celebre collegium *Maynooth* se contulit, sicut rector prioris collegii desiderabat, verum ad Dublinense collegium *All Hallows*, quod Missionibus exteris inservit.

Ibi iuvenili aetate 22 annorum d. 24 Iun. 1886 sacerdos ordinatus est pro Australiana dioecesi Goulburn. Revera in ea per septennium laboravit presbyter saecularis, primum magister litteraturae Anglicae et historiae in Seminario, postea vicarius cooperator in Cootamundra et in ecclesia cathedrali.

Iterato tamen vocem Domini audivit ad Congregationem SS. Red. se invitantem, ac primum quidem brevi post ordinationem, cum, etiam tum in patria commorans, missione per 3 Redemptoristas in Feakle praedicatae atque festo S. Alfonsi Limerici interfuisset; deinde a. 1888 tempore exercitorum spiritualium et anno sequenti, cum Patrem Berghman C. SS. R. in Goulburn suae congregationi praedicantem audisset. Tamen ob varia impedimenta proficisci non potuit nisi d. 13 Febr. 1893. Tum ostendit, quanti margaritam status religiosi faceret, respuens quodlibet beneficium honorificum et lucrativum a proprio Ordinario oblatum.

Novitiatum suum in Bishop Eton peregit ibique d. 3 Sept. 1894 vota nuncupavit. Transactis in Hiberniae et Angliae missionibus aliquot annis a. 1899 in Australiam rediit Redemptorista. Eo tempore Episcopus Perthensis Gibney nostros in suam urbem invitaverat, et P. Clune ibi in ecclesia cathedrali, una cum PP. O'Farrell et Hunt, a d. 8 Oct. ad 5 Nov. praeclaro cum successu primam missionem praedicavit. Secutae sunt aliae multae missiones pariter a Deo benedictae, praesertim in « campis auri » Australiae Occidentalis.

Renuntiatus a. 1905 primus Superior novae fundationis Wellington in Nova Zelandia, ibi in situ magnifico sub S. Gerardi auspiciis novam domum et ecclesiam aedificavit.

A. 1909 Perthinium missus est Rector huius collegii, et rege Angliae Eduardo VII d. 6 Maii 1910 mortuo, P. Clune, invitatus ab Episcopo, in

ecclesia cathedrali coram proceribus totius Status *Western Australia* prouintiavit illum sermonem, qui ob artem orationis omnium admirationem suscitavit¹. Immo cives textum auro ornatum viduae regis, reginae Alexandrae, mittere voluerunt.

Sic igitur nomen Patris Clune, iam apud catholicos valde populare, etiam apud acatholicos celebratum est, et cum circa idem tempus Episcopus Gibney ob infirmam valetudinem muneri suo renuntiasset, etiam nomen Patris Rectoris Clune, ut «dignissimi», qui dioecesim gubernaret, Romam delatum est. Mense Iunio P. Clune Novam Nursiam petebat ad exercitia Sororibus tradenda, cum telegramma Cardinalis Gotti eius ad sedem Perthensem elevationem nuntiavit. Praeconisatio Pontificia d. 21 Dec. 1910 locum habuit, consecratio autem festo S. Patritii 1911 quam sollemnissime, scilicet per primum Cardinalem Australiae, Eñum Moran, tum 81 annorum, assistantibus duobus Archiepiscopis et tribus Episcopis, et R. P. Francisco Clune C. P. cappellani munere fungente.

A. 1913 sedes Perthensis ad gradum hierarchicum altiore elevata est et sic confrater noster factus Archiepiscopus. Inde ab initio in episcopali munere se praebuit et aeternis et temporalibus rebus sollicitum ac negotiatorem admodum habilem; ex ingenti enim debito Librarum 200 000, quod in ingressu invenit, a. 1922 iam ultra dimidium extinxerat.

Tempore belli nominatus est Cappellanus Generalis militum catholiconrum Australiae eosque in variis magni belli theatris invisit.

A. 1920 in suo *ad limina* itinere etiam in patria fuit ac Londini. Cui urbi valedicturus rogatus est, ut in perturbationibus tum Hiberniam vexantibus pacis mediator esset. Revera causae pacis servivit, quantum potuit, ac pluries cum primo ministro Lloyd George, tum viro potentissimo, colluctus est, at aliunde totum negotium factum est irritum.

Omnibus omnia fieri volens, Archiepiscopus Clune a. 1914 pro infantibus expositis asylum aperuit et a. 1920 Parvas Sorores Pauperum in archidiocesim vocavit, ne pauperum senectuti religionis adiutoria et soacia deessent. Pro alia miseriae forma adscivit religiosas a Bono Pastore.

Catholica iuventutis institutio ei apprime cordi fuit. Ipse extruxit 16 scholas catholicae novas, partim primarias, partim secundarias. Pro studentibus catholicis Universitatum fundavit «Societatem Newman», eorumque annuae communioni generali intervenire satagebat. Singulis annis omnes catholicos Status magistros et magistras congregabat. Quo magis scholae catholicae omnibus numeris absolutae essent, eas etiam inspectioni auctoritatis civilis subiecit, et repartae sunt meliores quam scholae statales. Nec parvulos extra urbes in quodam deserto viventes neglexit, sed

¹ A masterpiece of exquisite diction and finished oratory, scripsit quaedam ephemeris.

effecit, ut suam in fide et rebus scitu magis necessariis institutionem invenirent. Eius providentiam ne pueri quidem minus ingenio pollentes effugerunt, sicut institutum Castledare (*Home for sub-normals*) manifestat.

Corona autem operum quae perfecit est nova ecclesia cathedralis; ipse enim aedi iam existenti adiecit, et arte quidem exquisita, novum sanctuarium et transeptum et varia sacella. Imprimis sacellum B. M. V. est perenne eius in Deiparam devotionis monumentum, sicut Ex̄m̄us D. Killian in suo ad feretrum oratione testatus est verbis: « In praedicandis Mariae gloriis Ex̄m̄us Clune, et missionarius et Episcopus, altissimum eloquentiae suae volatum assequebatur. Hoc speciosum templum cathedralē est opus praeclarissimum eius vitae; sed templi gemma est sacellum Mariale, quo nullum donum pulchrius Dominae N. Beatissimae in his terris australibus oblatum esse existimo, luculenter probans, quanto devotionis affectu Patritius Iosephus Clune dulcem Christi Matrem Caelorumque Reginam prosecutus sit. Nonne igitur eius finis venit perquam convenienter in festo B. M. V. Auxilii Christianorum, festo patronali Ecclesiae Australiana? »

Archiepiscopus Clune, nimio labore exhaustus, a. 1933 Coadiutorem a S. Sede recepit Ex̄m̄us D. Prendiville, cui omnem administrationis operam tradidit, quo melius ipse oratione ac poenitentia ad mortem sese præparare posset. Ultimum publice ad populum suum dixit d. 10 Mart. 1935, quo die in cathedrali pulcherrimum altare in hon. S. Teresiae a Iesu Infante inauguravit, qua occasione bene ait Ecclesiam non modo veritatis, sed etiam pulchritudinis magistrum esse. Moniales autem Carmelitanae, quas versus idem tempus in archidioecesim vocaverat, ipso die funeris eius advenerunt.

Confrater perillustris morientium sacramenta iam d. 7 Maii recipere voluit e manibus confratrī, R. P. Bernardi Gorey; d. 22 recreatus est Benedictione Apostolica peculiari, postero die a P. Gorey recepit ultimam absolutionem et brevi post usum facultatum mentis amisit. Fer. VI 24 Maii, h. 4,45 p. m., placide Creatori reddidit spiritum inter preces Archiepiscopi Adelaidensis multorumque sacerdotum lecto adstantium.

Sic itaque mortuus est hic insignis Redemptorista Hibernus, qui in Australia novam patriam invenerat. Ibi oratorum sacrorum facile princeps evasit, quandoque vocatus « Chrysostomus Aurei Occidentis » (*the golden tongued orator of the Golden West*). Aliud singulare in defuncto laudavit eius in munere collega, Ex̄m̄us Killian, in funebri suo sermone his verbis: « Archiepiscopus Clune, cum multifariam dotibus singularibus ornatus erat, tum praesertim dono acquirendi amicitias, neque me errare puto dicentem: in universa Ecclesia catholica non esse alium Episcopum tot amicorum dilectione circumdatum. Cognovisse Ex̄m̄us Clune et eum amare eiusque amicum fieri erat unum idemque ». Hinc in eius obitu tot sym-

pathiae manifestationes, etiam ab Anglicanis, Presbyterianis, Methodistis, Baptistis, Hebraeis...

Ergo primo Archiepiscopo Perthensi applicari possunt verba Scripturae: *Dilectus Deo et hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est* (Eccli. 45, 1)¹.